



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 97. De manso tradito in Holtesmeni in pago Auga.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
826 vsque
853 im-
perante
Hludo-
uico et

§. 96.

Tradidit maginbern et reduuig in *cogharden* (e) quidquid habuerunt ibi. similiter tradidit fridumar quidquid ibi habuit duorum quoque liberorum per ibidem possessionem nomine hunric et sol. rodolfus quoque pro homanno tradidit quidquid ibi habuit similiter pro adelmo quidquid etiam ipse ibidem habuit. testes eggio marcbodo teodgeruf dado rodolfus et alii octo.

§. 97.

Tradidit agido in *holtesmeni* (F) mansum unum. ea tamen ratione ut suuala ipsum possideat interim. dum uixerit. post mortem autem sualae ad reliquias cedet s^ti stephani (G). testes horid erp riculf lifward auo tidulf et alii quatuor.

§. 98.

Tradidit hranuuardus in *bochem* (H) quidquid habuit. testes bouo adalhard.

§. 99.

Tilithi et Wikanaelde obstant. Denique autem nos habemus obuiam villam *Bellersen* in episcopatu Paderbornensi haud procul a vico Bökendorp, quae hic indicari videtur. Quodsi enim pagus *Huuetigo* ad fluuium Embrinam, vti §. 3. vidimus, fuit, abbatia etiam nostra in villa *Beller*, quae in antiquis membranis *Bellerbek*, *Bellerke* et tandem *Beller* appellatur, bona quaedam possidet, nulla alia villa per *Billurbechi* indicatur, quam vicus *Bellersen* in diecesi Paderbornensi. In *Origin. Pymontanis* p. 4. haec villa appellatur *Billurbochi*. Sed multa vitia typographica ibidem irrepperunt. Pro *Embrino* enim lege ibi *Embrine*, pro *Helmune* helmuni, pro *Schard* sehard, pro *Theoding* teoding, pro *Heriberd* heribert, pro *HUVetego* huuetigo, pro *BRACH* bracu, pro *Stoedger* adedger, pro *Osburg* alsburg, pro *Wetigo* huuetigo, pro *Theodulf* teodulf, et pro *Geriward* geruuuard.

(e) De villa *Cogharden* in pago *Wikanaelde* vide supra §. 70. not. (s)

De villa
Holtes-
meni.

(F) *Holtesmeni* villa hodie dicitur *Holtzminden*, oppidum situm ad Wiseram vno milliari a nostra Corbeia orientem versus. Tempore Hludouici pii, vti hic videmus, ea iam existit, et ad pagum *Auga* fuit relata, testante Registro nostro Bonorum Ab. Corb. Iacet etiam illa inter Varstan et Aldenthorp, id est, Forst et Oledörp, quae villae, cum ad pagum *Auga* relatae fuerint, vti iam supra §. 45. not. (Y) et (Z) didicimus; villa *Holtesmeni* ad alium pagum nequaquam trahi poterit.

De reli-
quiis S.
Stephani.

(G) Quia hic *reliquiarum sancti Stephani* duntaxat mentionem faciunt traditiones, vti etiam adhuc factum est §. 105; infra autem, §. 126. Sancti Viti reliquiae adduntur, colligi potest inde, hanc et sequentes traditiones vsque ad §. 126. ante annum 836. factas esse. Nam eo demum anno corpus S. Viti e Francia in Corbeiam nostram ferebatur.

De villa
Bochem,
et de pa-
go Bukki,

(H) In codice nostro manus aliena ad marginem adscripsit *Bokem*. et in Registro nostro saepius citato villa *Bokem* in pago *Nihtherfi* inuenitur. Inuestigatio ergo villae *Bochem* difficilis non erit. In episcopatu enim Paderbornensi intra regionem oppidi Driburg haud procul a vico Swaney et septem vallibus, vulgariter dictis *die sieben Gründe*, villa *Buken* inuenitur, quam hic indicari arbitramur. Immichusen villa, hodie dicta Himmighausen, etiam ad pagum Nihtherfi seu Nethga spectauit, et eadem haec quasi terminus constituendus est inter Huuetigo et Nihtherfi pagos. Est vero eadem villa *Bochem* probe distinguenda a *Bodeke* in eodem quidem episcopatu Paderbornensi, sed ad dominium Weuelsburg referenda. Hanc perhibent docti quidam esse pagum *Bukki*, in quo, teste *Poeta Saxone* T. I. S. R. B. *Leibnitii* f. 125, et Eginhardo *Ann. Rer. Franc.* f. 149. *An-
grarii*